

REVERENDO PATRI

DIONYSIO A SANCTO GERMANO

SAN-VICTORINÆ DOMVS ARCHIMANDRITÆ ET PRIORI DIGNISSIMO, ABBATIÆ VICARIO,

IACOBVS MENTEL ὑγιαίειν.

IN hac Fati oppugnatione Dux mihi & author opus est (Archimandrita dignissime) nec alium potiorem inueni præter te , nec validiorem aciem quàm Domum tuam integram , antiquum Fati odium τὸ παλαιόπους, vt de Romanis & Pœnis olim dicebatur. Igitur in secessu vestro dudùm quietè agens, cum prodire in Bellum nunc oporteat & confertè cum Fato gradum, non nisi vestris armis hoc decuit, nec augustius nomen præferre potui, quàm Diui Augustini vestri ordinis Principis, aut alio clypeo muniri, quàm istius sancti militis & Victoris Antesignaniq; vestri. Hæ sunt Aquilæ, hæc signa, sine quibus nec tam facilis victoria vel triumphus, quem si assequi detur, manubias, trophæa opimaque spolia Numinibus vestræ Domus appēdam, & me ascriptitium vestrum semper profitebor. Liceat ergo nunc per te (Archimandrita Dignissime) ÆRE CIERE VIROS MARTEMQ; ACCENDERE CANTV.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. IANVARII.

M. CLAVDIO GERVAIS Doctore Medico, Moderatore. 724

An in Arte Medica Fatum.

QVOD Diis authoribus (sed falsis) Apollini & Æsculapio, Medicinæ quæ sanitatem præsentem fouet, nutantem firmat, & absenté reuocat, inuentionem assignarit Antiquitas, nosque potiori iure Deo Opt. Max. acceptam referimus, effecit Artis præstantia & dignitas: Namque malis certa morbis ratione mederi, vix hominum credi posse videtur opus: vnde, quæ non humanis opibus, nec Arte magistra proueniunt, Deus hæc, dicito, maior agit. Atque adeo vt in morbis θεῖον τι, sic in remedijs nonnullis esse experientia satis frequens comprobat. Morbus peccati soboles (neque enim aureo illo, sed heu! nimiùm breui seculo primos parentes impia lacessiuit tyrannide, ἀπὸ τοῦ ἐνόντος, maxime in obæsis , quæ à nemine vitari, & ἀπὸ τοῦ ἔξωθεν, in gracilibus, quæ à quovis declinari possunt, oriri consueuit: tuncque feritatis suæ caput exerit cum actionem partis quam possidet manifestè lædit. Hic seu formica-leo non sine causa ferit furitq; , nec solus, sed magna symptomatū (quorum aliquando maior quàm morbi sæuities) caterua stipatus incedit. Sed hunc signa varia, veluti in speculâ vigiles positi, latere diutiùs non sinunt: eum siquidem detegunt propria & inseparabilia, quæ Pathognomonica: alia suboriūtur, quę ἐπιφαινόμενα & συνδυάζοντα; sed maximè diagnostica præsentem illius statum, videlicet quis & qualis sit, quam partem occupet , & quæ illius sit causa apertè demonstrant: tum denique prognostica, veluti diuina oracula, eius aut turpem fugam, aut miseram ægri iacturam ruinamque prænuntiant.

QVÆRITVR huicalius, nec quisquam ex agmine tanto audet adire ferum Naturæ intrepidus hostem. Hinc Fatum, sed iners; Medicus bellator at illinc assurgit , dubiaque licet stat victor arena. Et certè si homini semel aut pluries è regia sanitatis delapso , ad eandem regredi non datum esset, miserum & luctuosum nasci fuisset, vanumque & inutile foret, quod ipse vniuersitatis princeps in solem ac cætera Astra tanquam Iupiter, quod in aërem (ad vitam magis quàm cætera necessarium) tanquam Æolus, in terram verus Hercules, in mare Neptunus, ac in ditis viscera terræ Pluto imperium obtinuit: Eccœcat siquidem ophtalmicum (Fato non renitente) micantis solis radius, dementat melancholicum (Fato non exhilarante) irati & murmurātis cœli fragor, suffocat asthmaticū (Fato obstructa non soluente) aëris omnia permeantis inspiratio, displicet Paralytico & arthritico (Fato non curante) arduus sed gratus montium vertex, admirabilis collium varietas, stupenda vallium fertilitas; ad omnia pauentibus (Fato non cōfirmante) etiam quieti maris planicies & bonitas horrori est: denique (Fato non illustrante) idem est amentibus, quod non sine labore ex intimis terræ penetralibus eruitur aurum, ac plumbum.

QVÆ omnia sanus Medici opera, diuino longéque blandissimo vitæ condimento suauissimè fruens, seorsim examinat, distinguit, iudicat & æstimat: eas siquidem actiones, licet non æquè (pro diuersa scilicet Temporum anni, Ætatum ac Temperamentorum ratione) in homine secundum naturam perficit sanitas, naturalis partium omnium διάθεσις, legitimo sex rerum non naturalium vsu conseruanda; quas contra eandem in eodē subiecto lædit & destruit morbus , quē velut athleta fortissimus sanitatis vindex & vltor, tandē perimit Medicus; non vt Gnathonicus quispiā, agyrta transmarinus, circulator circūforaneus, præstigiator theatralis, qualis Aurimontius φιλοκέρδης auidissimus, Menecrates vanissimus, vel fumosus Alchymista; aut denique sacer & fatalis cæcæ antiquitatis μάγος, quos in perniciem ciuium nimia sacræ Themidis fert & fouet indulgentia; cum potiùs candentis Lilii stigmate in fronte inusti, cum Manete impio hæresiarcha & pseudomedico Persicum mererentur supplicium, sed vt verus ἀληθικὸς veris & certis Artis quam profitetur innixus fundamentis, nec non εὐθυῤῥημονέστερος: sicque omniū nobilissimus & præstantissimus artifex, olim idē & Chirurgus idē & Pharmacopæus: nunc verò vt par est, dominium in cæreros habens , iis quanquam hoc æuo, Proh Deûm atque hominum fidem! dyscolis & ægrè rationis ac officii iugo colla subdentibus Ministris vtitur, eorumque manibus, propriis nihil sordidum aut seruile tractans , sed solo nutu atque indice seu gubernaculo, artem totam velut nauim aut malum proram- ve humanæ salutis regit & gubernat.

VNDE quod vniuersitati Deus, cœlis Intelligentiæ, Sol mundo, anima corpori, Rex populo, naui gubernator, militiæ Dux , domi denique Paterfamilias: id ægris, solus rei medicæ Iudex, Medicus est, qui scilicet homo homini Deus, ita se diuinum exhibet, vt mœstos consoletur, fractos solidet, læsos curet, ægros morbo (quo Sanitas & Medicina prior est) etiam lethali afflictos liberet atque à faucibus Erebi reuocet in vitam; idque cum tanto stupore & admiratione, vt inuidorum malefida cohors *Fati ope, non* verò *Medici* euenire clàm palámque proferat: verè fatua & stolida progenies, quæ ne gratiā quam Medici studio, labori, industriæ & beneuolentiæ debet (quamuis nulla exequare possit) rependat, rei fictæ, falsæque nequissimè concedit: nec verò vnquam hausti deleterii vim efferam & lethalem Fatum edomuit, nunquam in thorace aut viscere nobili ἄπεφθμα discussit , nec inflictum pugione aut sica vulnus intima viscera penetrans, neque vt tardā Philoctetæ sanauit crura Machaon, nunquam os vel articulum loco dimotum reduxit, nec telum denique mucrone multiplici contra-nitente, vel reflexis & vncatis hamis musculum diuellens, atque dilacerans, osque ipsum perforans, vt Medicus reuulsit.

FATVM siquidem (de quo sermo lubricus ad lapsum) quodcumque tandem illud sit, nomine tantùm tenùs apud nos: at in peruersis perditorum mentibus, Idolum existens, cum oculis cœcum, auribus surdum, ore mutum, manibus inefficax, pedibus stipitis instar immobile ac fixum, vanum denique ac fugax somniantis aut delirantis ludibrium, anile commentum , liberi Arbitrii infractor, lucis animæ extinctor, cædis ac libidinis assertor, latrocinii magister, inertiæ & ebrietatis fautor, Tabacopaniæ specus, sanitatis corruptor, pusillanimitatis & ignauiæ puluinum, veritatis calumniator, inuidiæ & odii parens, cœlestis vitæ despector, gehennæ denique æternæ author & tortor, in quam mirùm quàm citissimè, suos protrudat clientes. Deus autem, cuius summa Prouidentia, quam (si vsquam est) Fatum agnoscimus, tantùm præcellit Fato, quantùm sol lumini , æternitas tempori, rationi intellectus, cum causis necessariis necessariò, naturalibus naturaliter, voluntariis voluntariò, contingentibus contingenter, sine vlla vi, sed leniter agit, licet prodigii aut miraculi causâ, sæpe citra , imò contra naturam operetur.

Non ergo in Arte Medica Fatum. 170.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS MENTEL, Castro-Theodoric. A.R.S.H. M.DC.XXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Guido Patin.
M. Iacobus Theuart.
M. Vrbanus Bodineau.

M. Anthonius Suart.
M. Remigius Leuesque.
M. Guillelmus du Pré.

M. Claudius Geruais Præses.
M. Franciscus Guenault.
M. Ioannes Merlet Censor.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE